

Eduqas Latin GCSE

Prescribed material for Component 2: Latin Literature and Sources (Themes)

Theme A: Heroes and Villains

This is the official prescribed material for the Eduqas Latin GCSE (2027-2029)

Theme A: Heroes and Villains

Candidates are expected to be familiar with the following aspects of the theme:

- the characteristics of a Roman hero.
- can women be heroes?
- Roman anti-heroes.

Candidates will be expected to answer questions on the following texts:

CICERO	A Politician Recalls His Own Bravery	<i>Philippic</i> 2.118-119
LIVY	Horatius Saves Rome	<i>History</i> 2.10
PROPERTIUS	Divine Support for Augustus	<i>Elegy</i> 4.6 3-46, 53-60
SALLUST	A Badly Behaved Woman	<i>Bellum Catilinae</i> 25
TACITUS	A Hero or a Villain?	<i>Annals</i> 4.1, 59
VIRGIL	A King's Gruesome Behaviour	<i>Aeneid</i> 8. 478-495
VIRGIL	The Volscian Warrior, Camilla	<i>Aeneid</i> 11. 648–658, 664-665, 676-689.

Candidates should also study the picture sources, one or more of which will be used as a basis for questions in each question paper.

Eduqas has prepared a Resource Booklet containing the prescribed pictures and texts, together with a list giving the meanings of all the Latin vocabulary used in the texts. To assist with preparation for the examination, this booklet is available to be downloaded from the Eduqas website. In the examination itself a copy of the Booklet (omitting the captions to the pictures) will be provided to each candidate.

Amendment – December 2025: Please note an amendment has been made to the caption of Picture 1 on page 3.

Eduqas GCSE Latin 2027-2029

Component 2

Section A

Heroes and Villains



Picture 1: A coin showing Aeneas leaving Troy.



Picture 2: Capitoline Wolf suckling Romulus and Remus.



Picture 3: Augustus, Prima Porta Statue, Ashmolean Museum



Picture 4: Tullia the Younger driving her chariot over the body of her father.
Bas relief.



Picture 5: Catiline sits alone in the senate while Cicero speaks out against him.
19th Century painting by Cesare Maccari.



Picture 6: Ides of March coin
Ashmolean Museum

CICERO, A Politician Recalls His Own Bravery.

Philippic 2.118-119

defendi rem publicam adulescens, non deseram senex: contemps
Catilinae gladios, non pertimescam tuos. quin etiam corpus libenter
obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest, ut
aliquando dolor populi Romani pariat quod iam diu parturit! etenim si
abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem
immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni? mihi
vero, patres conscripti, iam etiam optanda mors est, perfuncto rebus
eis quas adeptus sum quasque gessi. duo modo haec opto, unum ut
moriens populum Romanum liberum relinquam—hoc mihi maius ab
dis immortalibus dari nihil potest—alterum ut ita cuique eveniat ut de
re publica quisque mereatur.

5

10

LIVY, Horatius Saves Rome.

History 2.10

pons iter paene hostibus dedit, nisi unus vir fuisset, Horatius Cocles;
id munimentum illo die fortuna urbis Romanae habuit. ille positus
forte in statione pontis captum repentino impetu Ianiculum atque
inde citatos decurrere hostes vidit trepidamque turbam suorum arma
ordinesque relinquere. reprehensans singulos, obsistens
obtestansque deorum et hominum fidem testabatur. praedixit ut
pontem ferro, igni, quacumque vi possint, interromperent: se
impetum hostium, quantum corpore uno posset obsisti, excepturum.
stetit inde in primo aditu pontis, insignisque inter conspecta
cedentium pugna terga, ipso miraculo audaciae obstupefecit hostes.
duos tamen cum eo pudor tenuit, ambos claros genere factisque.
cum his primam periculi procellam et quod tumultuosissimum
pugnae erat parumper sustinuit; deinde eos ipsos exigua parte
pontis relictam, in tutum coegit. ille circumferens inde truces minaciter
oculos ad proceres Etruscorum nunc singulos provocare, nunc
increpare omnes. cunctati aliquamdiu sunt, pudor deinde commovit
aciem, et clamore sublato undique in unum hostem tela coniciunt.
quae cum in obiecto cuncta scuto haesissent, hostes iam impetu
conabantur detrudere virum, cum simul erat fragor rupti pontis, simul
clamor Romanorum. tum Cocles 'Tiberine pater' inquit, 'te sancte
precor, haec arma et hunc militem propitio flumine accipias.' ita sic
armatus in Tiberim desiluit multisque superincidentibus telis
incolumis ad suos tranavit.

5

10

15

20

PROPERTIUS, Divine Support for Augustus.
Elegy 4.6 37-46, 53-60

mox ait 'o Longa mundi servator ab Alba, Auguste, Hectoreis cognite maior avis, vince mari: iam terra tua est: tibi militat arcus et favet ex umeris hoc onus omne meis. solve metu patriam, quae nunc te vindice freta imposuit prorae publica vota tuae. quam nisi defendes, murorum Romulus augur ire Palatinas non bene vidit aves. et nimium remis audent prope: turpe Latinos principe te fluctus regia vela pati. tempus adest, committe rates: ego temporis auctor ducam laurigera Iulia rostra manu.'	5
dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus: proxima post arcus Caesaris hasta fuit. vincit Roma fide Phoebi: dat femina poenas: sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas. at pater Idalio miratur Caesar ab astro: 'sum deus; est nostri sanguinis ista fides.'	10 15

SALLUST, A Badly Behaved Woman.
Bellum Catilinae 25

erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. haec mulier genere atque forma, praeterea viro, liberis satis fortunata fuit: litteris Graecis et Latinis docta, psallere et saltare poterat elegantius quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneret; libido tam accensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat: luxuria atque inopia praeceps abierat. verum ingenium eius haud absurdum: posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.	5 10
---	---------

TACITUS, A Hero or a Villain?
Annals 4. 1, 59.

nunc Seiani originem, mores expediam. genitus Vulsiniis patre equite Romano, et cum iuvenis esset divi Augusti nepotem sectatus est. mox Seianus Tiberium variis artibus devinxit adeo ut imperatorem obscurum adversum alios sibi uni incautum intectumque efficeret, non tam sollertia (quippe isdem artibus victus est) quam deorum ira in rem Romanam, cuius pari exitio viguit ceciditque. corpus illi laborum tolerans, animus audax; sui obtegens, in alios criminator; iuxta adulatio et superbia; palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido, eiusque causa modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud minus noxiae quotiens parando regno finguntur.	5 10
---	---------

The story resumes some years later in AD 26.

ac forte illis diebus Caesari anceps periculum oblatum est
praebuiltque ipsi materiem cur amicitiae constantiaeque Seiani
magis fideret. vescebantur in villa, cui vocabulum Speluncae, mare
Amunclanum inter et Fundanos montes nativo in specu. eius os 15
lapis repente saxi obruit quosdam ministros: hinc metus in omnes
et fuga eorum qui convivium celebrabant. Seianus genu utroque et
manibus super Caesarem suspensus opposuit sese incidentibus
atque habitu tali repertus est a militibus qui subsidio venerant. maior 20
ex eo et, quamquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius cum fide
audiebatur.

VIRGIL, A King's Gruesome Behaviour.

Aeneid 8 478-495

haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
urbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam
gens, bello praeclara, iugis insedit Etruscis.
hanc multos florentem annos rex deinde superbo 5
imperio et saevis tenuit Mezentius armis.
quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni
effera? di capiti ipsius generique reservent!
mortua quin etiam iungebat corpora vivis
componens manibusque manus atque oribus ora,
tormenti genus, et sanie taboque fluentes 10
complexu in misero longa sic morte necabat.
at fessi tandem cives infanda furentem
armati circumsistunt ipsumque domumque,
obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.
ille inter caedem Rutulorum elapsus in agros 15
confugere et Turni defendier hospitibus armis.
ergo omnis furiis surrexit Etruria iustis:
regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt.

VIRGIL, The Volscian Warrior, Camilla.

Aeneid 11 648-658, 664-665, 676-689.

at medias inter caedes exsultat Amazon,
unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla,
et nunc lenta manu spargens hastilia denset,
nunc validam dextra rapit indefessa bipennem;
aureus ex umero sonat arcus et arma Dianae. 5
illa etiam si quando in tergum pulsa recessit,
spicula converso fugientia derigit arcu.
at circum lectae comites, Larinaque virgo
Tullaque et aeratam quatiens Tarpeia securim,

Italides, quas ipsa decus sibi dia Camilla delegit pacisque bonas bellicae ministras.	10
quem telo primum, quem postremum, aspera virgo, deicis? aut quot humi morientia corpora fundis?	
quotque emissa manu contorsit spicula virgo, tot Phrygii cecidere viri. procul Ornytus armis	15
ignotis et equo venator Iapyge fertur, cui pellis latos umeros erepta iuvenco pugnatori operit, caput ingens oris hiatus et malae texere lupi cum dentibus albis,	
agrestisque manus armat sparus; ipse catervis vertitur in mediis et toto vertice supra est.	20
hunc illa exceptum (neque enim labor agmine verso) traicit et super haec inimico pectore fatur:	
'silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti? advenit qui vestra dies muliebribus armis	25
verba redargueret. nomen tamen haud leve patrum manibus hoc referes, telo cecidisse Camillae.'	